

Negat *Franciscus Svarcius* *disp. 23. Sect. 10, & cum hoc Thomas 3. contra gentes c. 25, Conimbricenses l. 2. cap. 9. q. 2. art. 2. alii*, agentia naturalia actionum suarum non intendere & cognoscere finem, sed DEUM tanquam primum agens actiones ad finem à se præcognitum dirigere. Quam sententiam probant & illustrent simili quodam à sagittâ desumpto, quæ licet motus sui ignara sit, impetu tamen & directiones jaculantis in scopum tendat. Verum, antequam ad hoc respondeamus, probamus suprâ positum nostrum theorema *Primò ab appetitu agentium naturalium h. m.* Quicquid appetit finem, eundem etiam intendit & cognoscit. Atqui agentia naturalia appetunt finem E. Major ex eo constat, ignoti enim nulla cupido. Et nota hic insuper, triplicem dari appetitum naturalem, sensualem & rationalem, quem triplex comitatur cognitio, naturalis, sensualis, rationalis. Naturalis juxta *B. Sperlingium* est, cum finis sub ratione boni cognoscitur per naturam à Creatore indultam. Sensualis, cum finis sub ratione boni noscitur, per sensus à Creatore datos: Intellectualis deniq; , cum non saltem finis sub ratione boni cognoscitur, sed etiam proportio & habitudo mediorum ad obtinendum illum ponderatur. Jam verò cum triplicem illum appetitum concedant Aristotelis Interpretes, concedant etiam oportet triplicem cognitionem. Hinc agentia naturalia intellectu destituta, si sensitiva fuerint, appetunt fines appetitu nunc sensitivo, nunc naturali, prout objecta appetibilia variant, & proinde cognoscunt fines cognitione nunc sensuali nunc naturali. Si autem fuerint non sensitiva & inanimata, appetunt quidem fines, sed appetitu saltem naturali, & proinde cognoscunt eosdem cognitione tali, qualis comitari solet appetitum naturalem. Quæ singula ex naturâ oppidò quæ luculenter patent. *Deinde ab effectu Naturæ: Quæcunq; opera certâ figurâ, certâ quantitate, certâ conformatione constant & eodè semper modo, nisi adsit obstaculum, fiunt, illa opera non sunt causæ cæcæ, sed scientis & cognoscentis.* Atqui Opera naturæ &c. E. Major. Quicquid enim eodem semper modo agit, illud temere & inconsultò non agit, sed sapienter. Minor naturam spectanti manifesta est. *Tertiò ab appetitu mediorum: Quicquid appetit media fini consequendo valdè proportionata, id intendit finem.* Atqui agentia naturalia &c. E. Major. Media enim habent ordinem & respectum ad finem & appetuntur propter finem. Minorem iterum natura confirmat. *Deniq; ab absurdo: Si agentia naturalia non intendunt actionum suarum fines, sequitur, quod sint effectuum suorum causa per accidens.* Sed posterius est absurdum E. & per Majoris connexionem probat indoles causæ per accidens supra tradita. Quibus alijs rectè ponderatis, facili negotio ad ea, quæ reponi solent, responderi potest quæ cum nobis jam prolixioribus esse non licet, ipsi conflictui reservamus.